

S. ferrari Misc. 650 n. 8

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sacri Pal. Apoſt.

A. Epiſc. Carin. Viceſg.

Imprimatur. Fr. Ignatius Ciantes Romanus, Reuerendiſs. P. F. Hyacinthi Petronij Romani Sacri Palatij Apoſt. Mag. Socius, Ord. Præd.

ILLVSTRISS. PRINCIPI

SCIPIONI CARDINALI BVRGHESIO.

IVLIVS GABRIELIVS F.

QVAE nominis patrocinium tui, Princeps Illuſtriſſime, diuinis æſtuans ignibus implorat, vmbram in æſtu quærit oratio. Et verò digniſsima ſacrarum luce flamma-

rum inuenta quærenti eſt purpuræ tuæ vmbra Illuſtriſsima. Tu cæleſti flagrantem hoſpitem ardore, qua ſoles, humanitate protege, & Vale.

ORATIO.

QVEM ſuis hodie pluuius in flammis amantiſſimus hominum Deus æſtiuo longè calore maiorē terris æſtum infundit, quidni beatam Amoris æſtatē dicam, Beatiſſime Pater? Dicere quidem in tam auguſto conſpectu tacere cupientem cogit ignearum diuina vis, & copia linguarum. Si potuit igitur ſuburbano pridem in præſepio, tanquam in frigoris diuerſorio naſcens natalitiam Decembris hyemem frigidulus Amor adeò inflammare; vt & noua ſydera, & regia pectora procul accenderet: cur patrios inter cæli ardores ardentiſſimus ignē feruido menſe nō perpluat? Amoris enim pluuia

uia ignis eſt. Enimuero non erat, cur priſca Poetarum ſuperſtitio parco, modeſtoque Promethei furto cæleſtis ignis particulam hominum luto animando immiſtam fabularetur: cum ſeſe totum in lutea pectora vitalis incendij ſplendido, aureoq; diluuio infinitum liberaliter Numen effundat. Sed quare tempeſtas hæc ignea millibus linguarum innocēti prodigio placidè fulminat? An quia fulmen Amoris lingua amabiles facilè flammas proximū iaculatur ad cor? An quia ſuum erga nos profuſum calorem prodigus Amor non poterat niſi ardentibus linguis explicare? An tandem quia diuini Verbi munus aptiſſimum cęleſtes linguæ ſunt? Vt nemini mirandum ſit, ſi factus eſt repentè de cælo ſonus: linguis enim pluit. Iam verò ſeſe per flammeas linguas inſinuans in animos iucundiſſimus hic æſtus, hoc eſt Amoris æſtas, vehementi commodùm ſpiritu ventilatur; vt efficacibus vitam flāmis par ventus inſpiret: quandoquidem vnus poteſt ſuum diuinus Amor ardorem euentilare. Quanquam eam quoque cauſam argutus hic cæli ſtrepitus mihi ſonat, quare ſimul in ignem, atque in auram mutetur Amor; vt ni-

mi-

mirum in Amoris æſtu Amorem pro aura reſpiremus. Etenim ſuauiter æſtuant, quibus Amor aſpirat. O aſpiratum ex Amoris pectore vitalem perfrigidæ mortalitati calorem! O benefici Spiritus aureis flammis aureum ſæculum afflantis impetum ſalutarem! Surrexiſti nunc tãdem *A*quilo, qui difflatis errorum nubibus diuinæ ſerenitatem veritatis aperires, qui penetrabili frigore penetrales vitiorum æſtus adureres. Veniſti Auſter, qui hominum animos, hoc eſt frigidum, ac ſterilem ſine te hortum tuum fœcundo calore perflares, quiq; fœlix Amoris incendium vni hodie Hieroſolymæ pluuium toto terrarum Orbe diffunderes. Arſit gelida Septentrionis ora, nec remotiſſimum ſolem deſiderauit proximo illuſtris Deo. Arſit meliori flamma torridus mundi tractus, & ſolis imminentis æſtus præ Amoris æſtate frigere vtili periculo intellexit. Ergo vndique diffuſo cæleſtis æſtatis calore terrena cælo maturuit virtus, fertilisque mortalium immortalitati demeſſa meſſis omnium arma carnificum, ac mortem ipſam defatigauit. Eodem æſtu ardens vniuerſarum pietas regionum oneroſa diuitiarum inuo-

lucra

lucra reiecit: decuitque nuditas inter ardorem. Sed nulla magis regio, quàm, quæ Dei Regia in terris eſt, diuinis Roma ignibus æſtuauit. Roma Amor diuini Amoris omnium plauſu nationum prædicetur; cuius ille, vt memori ardeat in pectore, amabili fulget in nomine.

Dixi.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LAVS DEO.